

tius. *Evingere* in sensu juris importat rem ab alio possessam, meliori juri demonstrato, imploratoque Judicis auxilio, Possessori auferre. (27. *Præstare* vero *evictionem* significat præstare reparationem damni, quod Possessor rei ablatae ex illa ablatione passus est, ut nempe possessor indemnis maneat; Stryk *in usu moder. Pandect.* lib. 21. tit. 5. § 1.

(28. Plura autem concurrant oportet, ut præstetur evictio. I. « Ut is qui evictionem passus est rem acceperit ex titulo oneroso. » (29. Hinc est, quod præstatur evictio in emptione et venditione, leg. 1. ff. *de Evict.* (30. in datione in solidum, leg. 4. eod. eodem, (31. in permutatione, leg. 38. Cod. eod. (32. in divisione hæreditatis, leg. 60 § ult. ff. eod. (33. in transactione, leg. 33. c. *de Transact.* Sed vide quando in transactione præstetur evictio apud Rotam in Bononien. Pecuniaria 5 Junii 1747. cor. bon. mem. de Vais (1); (34. in locatione, leg. 9. in princip. ff. *Locat.* in divisione rei communis singularis, (35. l. 10. § fin. ff. *Commun. divid.* in emphyteusi, in feudo, (36. et in omnibus contractibus innominatis, Franzh. ad tit. ff. *de Evict.* num. 411. et sequent.

(37. In negotiis itaque lucrativis evictio minime præstatur. (38. Inde non præstatur in donatione, nisi fuerit promissa, l. 2. c. *de Evict.* (39. Sed quando in donatione possit dici promissa evictio tradit Rot. in Romana Pecuniaria 15. Februar. 1743. cor. Reverendiss. P. D. Bussio Decano, vel donans fuerit in dolo, l. 18. § 3. ff. *de Donat.* (40. Immo nec sufficit quod donans dolose egerit, et animo decipiendi sciens rem alienam donaverit, sed requiritur insuper ut donatarius magnos sumptus in rem donatam fecerit, ita ut de damno vitando, non de solo lucro captando certet, Stryk. *in us. modern. Pandect.* lib. 7. tit. 2. § 5. Rict. decis. 33. num. 5.

(41. Num præstanda sit in donatione evictio, si ea non a traditione, sed a promissione incipiat, vide dissentientes inter se Doctores apud Stryk. *in usu modern. Pandect.* lib. 2. tit. 2. § 6. Cæterum in donationibus remuneratoriis, tum in illis quæ fiunt ob causam aliquam futuram, præstatur evictio, propterea quod his in casibus aliquid onerosi vere subest; Bruneman. ad l. 18. ff. *de Donat.* Rict. decis. 23. n. 5.

(42. In Legatis nec præstatur regulariter evictio, l. 77. § 8. ff. *de Legat.* 2. intellige tamen in legato speciei. Si enim genus aliquod legatum fuerit, et hæres rem evincibilem, seu alienam solverit, tunc Legatarius etiam ante evictionem agere potest, rem solutam esse alienam, l. 29. § 3. ff. *de Legat.* 3. Idem intellige in legato ab ignorante Testa-

(1) Quid vero si ex pluribus rebus uno pretio venditis, altera ex his evincatur sed reliquæ adhuc tanti valeant, quantum pretii nomine pro omnibus datum sit? Sicuti pro numero rerum tot debentur evictiones, ita una ex pluribus evicta, pro ea dabitur indistincte evictio. Voet. *in Pandect.* lib. 21. tit. 12. num. 53. Quod idem dicendum est si fundus venditus sit centum jugerum, sed juxta fines demonstratos a venditore longe centum jugera excedat,

tore facto. Quod si Testator sciens rem alienam legavit, tunc hæres de evictione tenetur l. 10. Cod. *de Legat.* modo Legatarius scientiam hanc Testatoris probet. Intellige demum in legato personæ extraneæ relicto; nam si res aliena ignoranter quidem legetur, sed tamen conjunctæ personæ, præstatur evictio, l. *Quum alienam*, Cod. *de Evict.* Quænam autem dicatur conjuncta persona, tradit Guzman. *de Evict. quest.* 27. num. 20. et seq.

(43. II. « Ut proprio nomine et jure tradens rem illi cui evincitur tradiderit. » Ex quo sequitur, quod Tutores, Curatores, Institutores, et Procuratores evictionem præstare non teneantur; Stryk. *in us. modern. Pandect.* lib. 21. tit. 2. § 46. Idem dic de Creditore vendente pignus, dummodo habuerit jus distrahendi pignus, ignoraveritque rem pignori subjectam esse alienam; Stryk. l. c. § 44 et seq. Num id ipsum procedat in marito uxoris bona vendente? Vide plures quos hic distinguit casus *idem Auctor.* eod. loc. § 51 et seq.

(44. III. « Ut res ipsa fuerit evicta, » quæcumque demum fuerit, sufficitque rem pro parte evinci, sive homogenea, sive heterogenea; Brunem. ad l. 6. et 56. ff. *de Evict.* Franzk. ad dict. tit. *de Evict.* n. 20. et seq.

(45. Interest tamen, utrum universitates, an singulæ res venditæ. Qui vendidit universitatem, tenetur utique præstare evictionem, si integra universitas a tertio evicta sit, non item si res aliquæ singulares per modum evictionis ablatae sint; l. 1. Cod. *de Evict.* (46. Declara tamen de venditione universitatis *juris*, puta hæreditatis et peculii. De venditione vero gregis, bibliothecæ, aliarumque universitatum Corporum, seu *facti*, non conveniunt inter se Doctores. (47. Placet hæc distinctio; Si universitas hæc *facti*, per aversionem distrahat, et ita singula corpora non vendantur, nec in illa pretium constituatur, non tenetur venditor præstare evictionem propter singulas res evictas. Sin autem dicta universitas *facti* sub certo numero capitum pretio in quolibet constituto vendatur, præstare evictionem tenetur venditor propter singulas res evictas; Franzk. ad tit. *de Evict.* n. 16. et seq. Engelbrecht ad eundem tit. disp. 13. § 18.

(48. IV. « Ut actu fuerit evicta; » l. 3. Cod. *de Evict.* Cæterum si in limine contractus immineat evictio, alter ad contractum implendum minime tenetur; l. 24. ff. *de Evict.* (49. Quid si sola possessio evicta? Confer Stryk. *in usu modern. Pandect.* lib. 21. tit. 2. § 43. tum Rot. in Tyburtina evictionis 20 Junii 1746, cor. bon. mem. de Vais.

(50. V. « Ut sit evicta sententia judiciali. » Unde si possessor rei mota ipsi controversia

adeo ut parte ipsius evicta adhuc centum jugera supersint, quo casu evictio quoque pro parte evicta debetur, licet jugerum numerus non sit per evictionem diminutus. Literalis est text. in l. 45. ff. *de Evictionibus*, et Bruneman. *in Pandect.* lib. 21. tit. 2. in eamd. leg. 45. num. 1. et per tot. ubi rationem affert. Parez *in Cod.* lib. 8. tit. 45. num. 21. Corven. *in Cod.* lib. 8. tit. 45. pagin. 688. coll. 2. §. *Tertio cessat evictio.* (EDIT. BARBIELL.)

compromittat, et succubuerit, « nulla (ait Paulus in l. 56. § 1. ff. *de Evict.*) actio de evictione danda est adversus Venditorem, quia compromissum (hanc hujus dispositionis rationem subjungit *idem Paulus*) nulla necessitate cogente factum. » (51. Ex hac vero ratione facile est intelligere, agere de evictione posse eum qui compromisit et succubuit, si statuto aut alio quoquo modo compromittere tenebatur; Mudæus ad tit. *de Act. Empt.* Rubr. *Quando committ.* stipul. n. 13. et seq. Stryk. *in us. modern. Pandect.* lib. 21. tit. 2. § 10. (52. Quæri solet an et agere de evictione possit, si venditor evictionem promisit cum clausula generali. « Quomodo vel qualitercumque res evicta fuerit? » Affirmant Franzk. ad titulum *de Evictione*, num. 767. Hartman. Pistor. lib. 2. quest. 10. n. 19. (1). (53. Sed alii declarant, ut hoc casu ad pretium tantum, non item ad duplum, si tale promissum aut interesse agi possit; Brunemann. ad l. 10. § 5. ff. *de Evict.*

(54. Nec evictio præstanda est, si res evicta sit per sententiam Judicis incompetentis, in cujus jurisdictionem Emptor forte consentit; Franzk. ad tit. *de Evict.* n. 769. Balth. tit. 8. resolut. 7. n. 6. (55. Item si emptor transegit, aut liti renuntiavit; Burgund. *de Evict.* cap. 78. fer. per tot. Emptore vi dejecto, non est locus præstationi evictionis, et hoc procedere volunt Doctores, licet Venditor promiserit quod Emptorem de jure et de facto defendere velit: tum licet dixerit se velle teneri quomodocumque res evincatur; Mangil. *de Evict.* quest. 19. fer. per tot. (56. Nec regulariter præstatur evictio, erepta re per mandatum Principis; leg. 11. ff. *de Evict.* nisi venditor sciverit Principem id facturum esse, et nihilominus hoc reticendo fundum alienavit. Vide Stryk. *Juridic. disert.* vol. 6. disput. *de Princip. evincent.*

(57. VI. « Ut evicta sit res potiori jure evincentis, » quod contractum jam antecedit. Quapropter si res fuerit evicta ex retractu, præstatio evictionis locum non habet, et quidem tametsi Emptor omne periculum in se susceperit; Franzk. ad tit. *de Evict.* n. 292. Intellige tamen de retractu legali, non item conventionali; Evicta enim re ex retractu conventionali, agitur de evictione, nisi ejus notitiam habuerit Emptor; Brunemann. ad l. 41. n. 8. ff. *de Evict.* Mey. part. 5. decis. 312. per tot. Quid si Emptor per injustam Judicis sententiam fuit condemnatus? Negare videtur Ulpianus in l. 51. in princ. ff. *de Evict.* At Doctores communiter dictum Ulpiani restringunt ad eum casum, si Judex nullo juris ordine servato, et velo levato Emptorem privavit; Adi Stryk. *in us. modern. Pandect.* lib. 21. § 13. Re evicta culpa Possessoris, locum haud esse evictioni omnes intelligunt: et definitum est in l. 34. et in l. 56. § 1. ff. *de Evict.* Quando autem res dici possit evicta culpa Possessoris, explicat. Stryk. loco citato, § 14 et seq.

(58. VII. « Ut legitime evictio præsens de-

nuntiata fuerit Auctori, vel ejus hæredibus, et quidem omnibus; » l. 29. § 1. ff. *de Evict.* l. 9. Cod. eod. tit. Fidejussori vero Venditoris non est denuntianda. Fieri debet denuntiatio judicialiter, ita scilicet ut in ipsa denuntiatione Venditor de genere motæ litis instruat, misso etiam libello et citationis exemplo. (59. Potest vero fieri quovis tempore, modo Auctori adhuc liberum sit, ut probationes, quas e re esse censuerit, pro libitu afferre, et præsentem Possessorem et hac ratione defendere queat. (60. An fieri possit in instantia appellationis? Et in quo iudicio litis denuntiatio fieri debeat? vide apud Stryk. ubi supra § 20 et 21. Cessat necessitas denuntiationis, si pacto fuerit remissa, vel inutilis futura erat; Rot. in Romana Reportationis Pecuniarum 9 Maii 1748. cor. bon. mem. de Vais, et in Faventina seu Ferrar. Eviction. 15 Maii 1748. cor. Illustr. Molin.

(61. VIII. « Ut præstatio evictionis non sit remissa. » Remittitur ea, vel Lege, ut si quid in ludo venditum sit; l. 2. § *Quarum rer. act. non dat.* et quidem sive venditio fiat collusori, sive extraneæ, modo hic sciat quod Venditor pecunia ex re vendita redacta ad ludendum uti velit; vel pacto contrahentium tum expresso cum tacito; Stryk. *in us. modern. Pandect.* l. 21. tit. 2. § 49. ubi an ad pretium agi saltem possit. (62. Huc etiam pertinet quæstio, an si Emptor sciverit rem alienam esse, eamque emerit, tacite remissis intelligatur præstationem evictionis. Affirmant ex text. in l. 37. Cod. *de Evict.* Brunemann. ad dict. l. 27. in fin. Cod. *de Evict.* Harman. Pistor. part. 2. quest. 10. num. 22. Cald. *de Empt.* cap. 11. num. 6. et ita quidem ut Emptor nec ad pretium agere valeat. (63. At pretium repeti posse ex text. in leg. ultim. Cod. *Commun. de Legat.* tenet Perez. ad Cod. hoc tit. *de Evict.* num. 24. Omittendum vero haud est, in dicta Lege ultima agi de alienatione rei fideicommissio conditionalis vel sub incerto die gravatæ, ubi jus vendendi pendente conditione, quæ deficere potest, ex legis permissione gravatus habet. Consule etiam in hac controversia Rot. in Romana Evictionis 20 Januarii 1749. cor. Illustriss. Caprar. Alm. Urb. Gubernat.

(64. His concurrentibus agunt ad evictionis præstationem Emptores et eorum hæredes, non item successores singulares, nisi facta cessione. (65. Agunt contra Auctorem et hæredes; l. 9. et 24. Cod. *de Evict.* ac fidejussor; 4. princ. ff. eod. tit. l. 7. 8. 18. Cod. pariter eodem. Et si plures Auctores sint, contra singulos in solidum; l. 15. § final. ff. dict. tit. (66. Petitur vero Evictionis præstatio vel ex natura negotii, vel actione ex stipulato, et quidem in Foro Auctoris competentis. In effectu hæc subest differentia, quod in hac id tantum continetur quod est promissum. Illa est largior, et continet pretium rei, interesse, et dampnum sumptus litis, aliosque, quos ab Evincente servare non po-

(1) Et omnium doctissimum Donell. *comment. in leg. Aristo. ff. de Donat.* tom. 9. edit. Lucen. pag.

1454, num. 2. *Læs in Pandect.* lib. 21. tit. 1. sub. n. 10. (EDIT. BARBIELL.)



tuit (1). (67. Quod æstimatio in actione ex contractu bonæ fidei fiat secundum tempus evictionis, in actione vero ex stipulato attendatur tempus evictionis; Franzk. ad t. de *Evict.* 837. et plur. sequ. (68. Et hæc cum

## EXAMEN, EXAMINARE, EXAMINARI, EXAMINATORES SYNODALES.

## SUMMARIUM.

1. Examen novum non est necessarium in permutationibus Ecclesiarum Parochialium. — 2. Si vero adsit magna inæqualitas Parochianorum, aut permutantes non fuerint examinati eo tempore, quo Parochiales adepti sunt, aut permutationes sint de Beneficio simplici, et Curato, tunc licet non sit necessarius concursus, est tamen necessarium examen. — 3. Examen novum requiritur in quolibet ascensu, etc. — 4. Præsentati ad Beneficia simplicia absque prævio examine Episcopi institui non possunt ab iis, ad quos institutio spectat. — 5. Beneficia in Ecclesiis Patrimonialibus, sive receptivis, numeratis, et non numeratis nullus consequi potest sine prævio examine, et approbatione Episcopi. — 6. Examen delegari potest ab Episcopo, cui directæ sunt Bullæ alicujus simplicis Beneficii conferendi Clerico absentem, *in forma dignum*, præsertim si is longe absit, aut ægrotet. — 7. Examen, et approbatio Vicariorum ad curam animarum positurum in Ecclesiis unitis Ordini S. Joannis Hierosolymitani, ad Episcopum pertinet. — 8. Examinare non potest Episcopus ad Beneficium simplex illum, quem jam examinaverat, pro Ordinis Sacri promotione. — 9. An, et quatenus Episcopus possit Parochos rite, ac recte semel approbatos iterum, ac pluries examinare? — 10. Examinatus in Curia, et idoneus repertus ad Canonicatum Cathedralis, et de eo a Sede Apostolica provisorius, non debet ab Episcopo iterum examinari ad suscipiendum Ordinem Sacrum Canonicatus annexam. — 11. Examinandus non est ab Ordinario super litteratura, seu idoneitate scientiæ provisorius per Sedem apostolicam *in forma dignum* de Canonicatu, cujus Ordinem requisitum habet. — 12. Examinatus ad Beneficium, vel officium non tenetur ad aliud simile se iterum examini subjicere, secus si ad majus vel dissimile. — 13. Examinandi de novo sunt, et per Ordinarium approbandi cæpti beneficiari in quolibet ascensu. — 14. Examinato, et approbato in Urbe ad Curam animarum non possunt ab Episcopo Ordines denegari sub prætextu insufficientis litteraturæ. — 15. Generaliter approbatus ad aliquod Officium in Curia non examinatur ad idem ab Ordinario. — 16. Clerici degentes Romæ non possunt extra eam promoveri ad Ordines sine examine, et licentia Eminentissimi Vicarii. — 17. Examinare potest Episcopus Regulares prædicare volentes in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt. — 18. Regulares prævio examine semel approbati non possunt iterum ab eodem Episcopo examinari. — 19. Superveniente tamen aliqua rationabili, et justa causa, quæ ipsas Confessiones concernat, possunt Regulares, a Confessionibus audiendis suspendi, et iterum examinari ab eodem Episcopo, qui semel eos approbavit. — 20. Regulares pro Confessionibus excipiendis possunt examinari ab Episcopo, etiam si sint Lectores, et Magistri Theologiæ. — 21. Quicumque Confessarius quantumvis Regularis simpliciter approbatus ab Episcopo Ante-

(1) Circa retractum conventionalem contrariam videtur sequi opinionem Voet. in *Pandect.* lib. 21, tit. 2, num. 2. Eo quia pactum de retrovendendo rem non afficiat, et actio tantum personalis contra pacta non servanda datur. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Hic queri commode potest an inter cohæredes evictio detur, et si eorum alteri res obvenerit, quæ deinde fuerit evicta, an evictionem passus contra

distinctione intelligi debet Rota, dum inquit pretium solvendum esse spectato tempore evictionis, ut in Romana seu Januena officii vacabilis 16 Junii 1748. et 12 Maii 1749. cor. R. P. D. Elephant (2).

cessore potest iterum examinari, et si minus idoneus repertus fuerit, reprobari ab Episcopo successore. — 22. Quamvis autem possint Confessarii Regulares iterum examinari ab Episcopo successore, non tamen iterum examinari possunt a Vicario Capitulari, Sede Vacante, nec ab ipso revocari potest eorum facultas, et approbatio habita ab Episcopo, seu Ordinario defuncto. — 23. Et neque Vicarius Apostolicus examinare potest approbatos ab Episcopo. — 24. Et multo minus Vicarius Generalis Episcopi. — 25. Examinatum Synodali electio fieri debet nomine, et cognomine, non vero titulo Officii, seu Dignitatis tantum expresso. — 26. Electio Examinatorum Synodali facienda est in Synodo formali, non autem in Congregat. Cleri, licet Congreg. Synodalis denominaretur. — 27. Examinatores, qui ab Episcopo propositi fuerint, possunt probari a Synodo, tam per vota secreta, quam aperta, et Episcopus eum modum in probatione potest facere servari quem magis expedire judicaverit. — 28. Examinatores ad minus sex debent eligi quotannis in Synodo Diocesana. — 29. Examinatores Synodales in Synodo ad summum viginti eligi possunt. — 30. Examinatores Synodales debent ad Sancta Dei Evangelia jurare se fideliter munus suum executuros. — 31. Hoc juramentum est de forma substantiali, eoque deficiente, Examinatores non dicuntur legitimi, et concursus factus coram eis ante præstitum juramentum est nullus. — 32. Et taliter est de forma substantiali juramentum, ut ipso deficiente ex parte unius solius Examinatoris, vitietur totus actus. — 33. Sufficit tamen, quod hoc juramentum sit semel præstitum, sive in Synodo, sive extra Synodum. — 34. Examinatores Synodales non possunt quidquam prorsus occasione examinis, nec ante, nec post accipere, alioquin Simonie vitium, tam ipsi, quam alii dantes incurrunt, a qua absolvi nequeunt, nisi dimissis Beneficiis, quæ quomodocumque antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles redduntur. — 35. Quicumque etiam immemorabili consuetudine non obstante. — 36. Examinatores non possunt quidquam pro labore, vel titulo stipendii ad sustentationem, ex fructibus Beneficii vacantis, vel alia ratione, accipere. — 37. Non potest Ordinarius statuere aliquod stipendium etiam minimum Examinatoribus, et si Synodus Diocesana secus statuerit, decretum est irritum, et nullum. — 38. Examinatores privantur Beneficiis antea obtentis, si occasione examinis, sive post aliquid accipiant, etiam gratis et liberaliter dandum, etiamsi res modica sit, et levis momenti. — 39. Examinatores peracto examine debent eos ex communi sententia renuntiare Episcopo, quos idoneos repererint. — 40. Approbatus dicitur in concursu, qui ultra dimidium vocum fuerit consecutus, quamvis alius omnia suffragia prospera reportaverit. — 41. Examinatores convenientius palam inter se sua vota conferre debent. — 42. Examinatores debent dare vota sua, dum simul congregati sunt cum Episcopo, non autem separatim, sicut Episcopus, ubi

cohæredes valeat de evictione agere. Alii affirmant, alii negant; sed rectius meo iudicio sentire videtur Voet. in *Pandect.* lib. 10, tit. 2, num. 1, qui eandem, quam supra tradit Auctor in legatis, inter cohæredes observandam esse distinctionem putat, et nempe favore conjunctorum sit locus evictioni, secus vero favore extraneorum, et fusius de hoc idem auctor de *Familia eriscunda* cap. 2. (EDIT. BARBIELL.)

dato locus accessui, debet accedere Examinatoribus simul congregatis. — 43. Examinatores tenentur facere relationem, etiam circa mores, ætatem, et reliqua, et debent renuntiare quotquot idonei iudicati fuerint, Episcopus vero debet ex iis, qui renuntiati fuerint magis idoneum eligere. — 44. Examinatoribus approbantibus aliquem tamquam magis idoneum in scientia, cujus tamen mores ignorantur, et habentibus alium non tam doctum, sed ab eis cognitum, et approbatum in omnibus, hic ultimus est preferendus. — 45. Non spectat ad Examinatores, sed ad solum Episcopum judicare, quis ex concurrentibus ad Parochiam vacantem sit magis idoneus. — 46. Examinatores debent vota sua dare, sed Episcopus non tenetur ex collatione votorum eligere, potest enim cui maluerit ex approbatis Beneficium conferre non habita ratione calculorum ipsorum votorum. At debet expectare, ut Examinatores renuntient quos judicaverint idoneos. — 47. Idonei, et approbati dicuntur illi, qui habent majorem partem votorum favorabilium, quamvis minor pars eos reprobat, quæ major pars constituitur etiam per dimidium votum, quod excedat medietatem. — 48. Episcopus potest eligere etiam extra locum examinis,

(1) Examen novum non est necessarium in permutationibus Ecclesiarum Parochialium. Sic decisum fuisse a Sac. Congreg. Concil. refert Garcias p. 6. c. 2. num. 165. (2) Si vero adsit magna inæqualitas Parochianorum, aut permutantes non fuerint examinati eo tempore, quo Parochiales adepti sunt, aut permutationes sint de Beneficio simplici, et Curato, tunc licet non sit necessarium examen, ex citata decisione Sacre Congreg. Concil. relata a Garcia dict. part. 6. c. 2. n. 165. (3) Examen novum requiritur in quolibet ascensu, qui sit in aliquibus Ecclesiis, occurrente vacatione Canonicatus, ad quem solet institui antiquior portionarius, ad portionem antiquior Beneficiatus, ad Beneficium antiquior expectans. Sic resolutum fuisse refert Garcia de *Beneficiis* part. 9. cap. 3. n. 19. (4) Præsentati ad Beneficia simplicia absque prævio examine Episcopi institui non possunt ab iis, ad quos institutio spectat. Sic decisum fuisse refert Garcia dict. part. 9. c. 3. num. 19. ad 2. (5) Beneficia in Ecclesiis patrimonialibus, sive receptivis numeratis, et non numeratis, nullus consequi potest sine prævio examine, et approbatione Episcopi. Sic resolutum fuisse refert Garcia dict. part. 9. cap. 2. num. 183. (6) Examen delegari potest ab Episcopo, cui directæ sunt Bullæ alicujus simplicis Beneficii conferendi Clerico absentem, in forma dignum, præsertim si is longe absit, aut ægrotet; Sac. Congreg. Concil. teste Sello in *selectis Canonicis*, cap. 21. num. 70. (7) Examen, et approbatio Vicariorum ad Curam animarum positurum in Ecclesiis unitis Ordinis Sancti Joannis Hierosolymitani, ad Episcopum pertinet; Sac. Cong. Concil. in Augustana 4 Decembris 1631. (8) Examinare non potest Episcopus ad Beneficium simplex illum, quem jam examinaverat pro ordinis Sacri promotione. Sic resolutum Garcia dict. p. 9. cap. 4. num. 15. Homobon. de *Bonis de examine Ecclesiastico* tract. 2. cap. 3. quæst. 33. in fine, Barbosa supra Concil. sess. 7. cap. 13. n. 11. et alii. (9) An, et quatenus episcopus possit Paro-

et absentibus ipsis Examinatoribus. — 49. Episcopus in paritate votorum potest accedere cui voluerit, et aliquam ex non approbato facere approbatum. — 50. Affertur propositum dubium, et responsio Sacre Congregationis. — 51. In Diocesi, in qua sunt duæ Cathedrales unite, an sint deputandi in qualibet Examinatores distincti ab aliis alterius Cathedralis? — 52. Alia ad rem *Remissive*. — 53 ad 54. Forma examinis pro collatione Ecclesiarum Parochialium. — 55. Examinatores præter doctrinam expendere debent cæteras dotes in Parocho requisitis. — 56. Quando examen iterari conceditur. — 57. Etiam Regulares ante ordinationem examini subijci debent. — 58 ad 67. De electione Examinatorum Synodali. — 68. Quando Examinatores solum idoneos designare debent. — 69 ad 70. Quomodo Examinatores ferunt suffragia. — 71 ad 74. Examinatores in concursu ad Parochiales referre debere non solum de doctrina, verum etiam de moribus. — 75 ad 88. An eligente majori parte Capituli inhabilem sub conditione dispensationis, minore vero parte habilem, non obtenta dispensatione intra terminum juris, consolidetur totum jus ipsius Capituli in minore illa parte.

chos rite ac recte semel approbatos, iterum ac pluries examinare? Vide verb. *Parochus* art. 1. a num. 21. ad num. 28. (10) Examinatus in Curia, et idoneus repertus ad Canonicatum Cathedralis, et de eo a Sede Apostolica provisorius non debet ab Episcopo iterum examinari ad suscipiendum Ordinem Sacrum Canonicatus annexum; Sac. Cong. Concil. die 12 Februarii 1598. (11) Examinandus non est ab Ordinario super litteratura, seu idoneitate scientiæ, provisorius per Sedem Apostolicam *in forma dignum* de Canonicatu, cujus Ordinem requisitum jam habet: ii vero qui Sacros Ordines nondum susceperunt, examinandi sunt, an illa habeant adjumenta doctrinæ, quæ ex præscripto Sacri Concilii Trident. necessaria sunt illi Sacro Ordini, qui Canonicatus, quem consequi volunt, erit annexus; sic decisum fuisse a Sac. Congr. Concil. referunt Garcia de *Benefic.* p. 6. c. 2. n. 234. Barbosa de *Canon. et dignit.* c. 13. num. 7. et 8. et in *Summa Apostolicar. decis.* verb. *Examen, Examinare*, num. 10. et Fagnan. lib. 1. *Decret.* in cap. *Accepimus 14. de Ætate et qualitat.* n. 14. ubi dicit, sic a Sacra Congregat. Conc. fuisse responsum Cardinali Borromæo.

(12) Examinatus ad Beneficium, vel Officium non tenetur ad aliud simile se iterum examini subjicere; Secus si ad majus, vel dissimile; Fagnan. loc. cit. num. 39. ubi testatur sic probasse Sac. Congreg. Concilii. (13) Examinandi de novo sunt, et per Ordinarium approbandi cæpti beneficiari in quolibet ascensu; Sac. Cong. Con. teste Gonzal. ad Regul. 8. Cancellar. gloss. 34. num. 74. (14) Examinato, et approbato in Urbe ad Curam animarum non possunt ab Episcopo Ordines denegari sub prætextu insufficientis litteraturæ; Sac. Congr. Episcop. et Regul. in Sutrina 26 Januar. 1594. (15) Generaliter approbatus ad aliquod Officium in Curia non examinatur ad idem ab Ordinario; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. 15 Maii 1647. (16) Clerici degentes Romæ non possunt extra eam promoveri ad Ordines sine examine, et licentia Eminen-